



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XII. In qua commissarii ad Ioannem papam fecerunt relationem, & lata fuit sententia diffinitiva contra ipsum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1417.

us pro qualibet natione vnum protonotarium, videlicet pro natione Gallicana Ioannem de Trembleyo, pro natione Italica Iacobum Rhodini de Ianua, pro natione Germanica Hermannum de Duuerck, pro natione Anglicana Thomam Poltensem.

Item notarios nationum, videlicet pro natione Gallicana Michaellem Bolsonis & Ioannem * Guiardi. Pro natione Italica Bartholomæum de * Gnostis & Ioannem A- * Gualtu
zel. Pro Germanica natione * Sumpertum Fabri, & Gise- * Gan-
leum Fonentem. Et pro natione Anglicana Guiller mum-
Porezell. quibus dat auctoritatem & plenariam potestatem, omnia & singula in sacro presenti Constantiensi Concilio dictata, acta, actitata, promulgata, publicata, lecta, petita, & omnia alia quæcumque gesta & facta, & omnia quæcumque in posterum dicenda, agenda, actitanda, promulganda, publicanda, legenda, petenda; & quæcumque alia in & pro dicto sacro Concilio, & ad dictum sacrum Concilium quomodolibet pertinentia, facienda & peragenda, in formam publicam redigendi & alias conscribendi. Approbatque dicta sancta Synodus omnia & singula per ipsos protonotarios & notarios in dicto sacro Concilio, & ad ipsum sacrum Concilium quomodolibet pertinentia, conscripta: & tam in publicam formam, quam alias in scriptis seu actis quomodocumque redacta vsque nunc, sub quibuscumque verbis per dictum sacrum Concilium fuerint statuta, decreta, ordinata, pronuntiata & quomodolibet diffinita. Quo decreto lecto, fuit petitum per procuratorem, an placeret prout pronuntiatum extitit. Fuitque responsum per præfidentem sessionis huiusmodi, & etiam quatuor præfidentes quatuor nationum, & deinde per totius Synodi supposita, per verbum, Placet.

SESSIO XII.

In qua commissarii ad Ioannem papam fecerunt relationem, & lata fuit sententia diffinitiva contra ipsum.

DIE Mercurii vigesima nona mensis Maii supradicti, fuit sessio generalis in ecclesia maiori Constantiensi, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis, præfente serenissimo principe Sigismundo Romanorum rege in
infi-

ANNO
CHRISTI
1415.

in signis regalibus, cum suis nobilibus in eisdem sibi feruentibus.

Cui astabant inter cardinales domini Angelus episcopus Prænestinus, Laudensis, & Iordanus episcopus Albanensis, de Ursinis nuncupati. Præsentibus etiam dominis Francisco Venetiarum, Antonio Aquileiensi, Alamanno Pisano, Petro Cameracensi, Branda Placentino, Antonio de Chalanco, Francisco Florentino, Lucido de Comite, Odone de Columna, Landulpho Barensi, Ludouico de Flisco, Raynaldo de Branckasius, Amadeo Salutarum, diaconis cardinalibus.

Et fuit decantatum officium Missæ de Spiritu sancto per dominum patriarcham Antiochenum. Quo completo, dicebantur litanæ, &c. ut moris est. Quibus peractis, fuit facta relatio a legatis & nuntiis missis ad Ioannem papam per organum domini Ioannis episcopi Vauren-
 * *for. ex* sis, quemadmodum * articulis & attestationibus contentis in processu sacri Constantiensis Concilii contra ipsum dominum Ioannem papam eidem exhibitis, offerendo ex parte Concilii ipsius, si quid vellet opponere, quod libere posset. Item intimato eidem termino ad proferendum sententiam, quod respondisset verbo, se pro Dei ecclesia & eius vnione plura fecisse, etiam antequam fuisset in papam assumptus, & ante dicti Concilii Constantiensis inchoationem, in quo etiam obtulit liberam papatus sui cessionem. Et quod turpiter ab inde recesserat, bene recognoscebat: maluis-
 setque illa die sine animæ

Concil. Tom. 29.

*Post cuius quidem officii Missæ peractionem fuerunt lectæ & dictæ litanæ cum introitu, Exaudi nos Domine, &c. more solito cum euangelio, Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicitur foras, ceterisque collectis ac orationibus & hymno, Veni creator Spiritus. Quibus habitis, instante magistro Henrico de Piro promotore & procuratore prædicto, reuerendi patres ac honorabiles & prouidi domini Ioannes episcopus Vauren-
 * *Ioan. 11.* sis, Andreas electus Poznaniensis, Gaspar abbas Perusinus, Thomas abbas monasterii sanctæ Mariæ extra muros Eboraci, Iacobus Rhodini de Ianua, Thomas Polcon sedis apostolicæ protonotarius, magister Ioannes Guiardi & Vuilhelmus Porcell notarii, legati & nuntii missi beri per sacram Synodum, & ad terram Cellis, ubi Ioannes papa XXIII. existerat, per os*

Zz

sua præiudicio mortuus esse, quam ita turpiter recessisse: quodque contra processum sacri Concilii nullam defensionem facere volebat, sed prout per schedulam sua manu subscriptam, datam cardinalibus qui ad eum venerant, continebatur, vouebat & præsentialiter promittebat stare, ac se in omnibus conformare omni ordinationi, declarationi & determinationi dicti sacri Concilii; ac insuper omnimodum processum per idem Concilium contra eundem habitum ratificabat, asserens quod non aliter voluit prædictis articulis respondere, affirmans Concilium Constantiense sanctissimum esse, errareque non posse, ac Concilii Pisani continuatiuum: & quod ipsi sacro Constantiensi Concilio nunquam contradicere vellet, etiam si in Bononia, aut alias quouis loco sibi magis accepto personaliter iam esset, cum id sibi minus non esset, quam publice fateri se in papatu nullum ius habere. De sententia autem ferenda, quod summe sibi placeret, vt quam cito lata foret, eidem referretur, quam omni reuerentia, etiam cum bireti sui depositione

*domini Joannis episcopi Vau-
rensis prædicti, sibi que ex parte
ipsius Synodi intimarunt, qua-
liter terminus ad ferendum sen-
tentiam fuisset prorogatus in
diem præsentem propter beneuo-
lam responsionem de non appel-
lando, sed eam acceptando, &
eam approbare velle: & ex hoc
mota dicta sancta Synodus siue
Concilium, attendendo honorem
eius in huiusmodi pronuntia-
tione, vellent limitare & miti-
gare verba sententiæ. Eo non
obstante, si vellet opponere &
defendere causam suam contra
dictam sententiam, posset &
deberet sibi dari tempus & hora
atque locus pro sua defensione.
Qui Ioannes papa ipsis nun-
tiis respondebat, quod non vellet
videre neque attestaciones, ne-
que processus, nec quidquam op-
ponere siue excipere, sed eam ap-
probare velle & acceptare. Et
extunc acceptavit, approbavit,
& placuit, quod Concilium
ferret sententiam, dicens quod
sciret Concilium errare non pos-
se: & lata huiusmodi sententia
obtulit se paratum ad subscri-
bendum eandem. Et ulterius
dixerunt, quod dicta sententia
deberet ferri die Lunæ proxi-
ma. Sed ex quo materia pro tunc
non erat parata, idcirco de man-
dato Concilii intimarunt sibi di-
ctam prorogationem: de quibus
reddidit se idem Ioannes conten-
tum, regratiando ipsis nuntiis,*

ANNO
CHRISTI
1455.

reciperet, & eam, quantum in se foret, confirmaret, ratificaret, approbaret & emologaret, prout dictum processum, ac omnia contra ipsum in Concilio gesta, extunc ratificabat, approbabat & confirmabat, promittebatque contra ea se aliquo processu temporis non venire. Prædicta relatione completa, reuerendus pater dominus episcopus Atrebatensis legebat sententiam diffinitiuam contra Ioannem papam XXIII. ac constitutiones quasdam, quarum tenores sequuntur hoc modo.

supplicans ut recommendarent honorem & statum ac personam suam domino regi Romanorum & Concilio, prout in quodam publico instrumento in notam recepto per dictos notarios, tenoris infra scripti, plenius continetur.

Qua relatione facta, idem Henricus de Piro promotor & procurator petiit pronuntiari, prout & quemadmodum in quadam papyri scheda, quam ibidem in suis tenebat manibus, eamque de verbo ad verbum perlegebat, protestans, petens & dicens, ut in eadem scheda infra scripti tenoris plenius continetur. Petitione lecta & data notariis ibidem nomine Concilii

præsentibus, & deinde toto Concilio & Synodo mandante, reuerendi patres domini Ioannes patriarcha Antiochenus, Martinus episcopus Atrebatensis, Antonius episcopus Concordiensis, Nicolaus episcopus Mersburgensis, & Patricius episcopus Cortagensis, ascenderunt ambonem, in quo edicta Concilii & Synodi sanctæ prædictæ legi & publicari solent. Et de mandato Concilii & ipsius Synodi reuerendissimus pater dominus episcopus Atrebatensis, Christi nomine inuocato, &c. pronuntiavit, & legebat dictam sententiam diffinitiuam de verbo ad verbum, prout in scheda, quam suis tenebat manibus, infra scripti tenoris, plenius continetur. Qua pronuntiatione facta, ut præmittitur, reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis & præsidens proposuit, quod si aliquis esset ibidem præsens, siue magnus, siue paruus, pauper aut diues, volens contradicere dictæ sententiæ diffinitivæ, seu eius pronuntiationi, dicat & surgat, cum potestas libera sit per dictum Concilium unicuique concessa ad dicendam voluntatem suam. Et in casu quo non dixerit, habebitur pro consentiente. Tunc nemine respondente siue loquente, ipse dominus episcopus Ostiensis habuit respondere nomine collegii cardinalium, quod placet. Deinde ipsi commissarii in ambone, & inde quilibet pro

Concil. Tom. 29.

Zz ij

natione sua, videlicet Ioannes patriarcha pro natione Gallicana, Nicolaus Mersburgensis pro natione Germanica, Antonius Concordiensis pro natione Italica, & Patricius Cortagensis pro natione Anglicana, responderunt, Placet. Et subsequenter omnes ibidem existentes in Concilio & de Concilio responderunt, Placet. Subsequenter dominus Franciscus cardinalis Florentinus leuauit se, & voluit legere vnam schedulam papyream: fuitque dictum per omnes, quod non placeret: & sic siluit, nihil legendo. Deinde de mandato Concilii dominus Ioannes archiepiscopus Rigenfis bullam papæ portauit, & præsentauit eam Concilio tamquam eius custos. Qua præsentata, fuit per magistrum Henricum de Piro promotorem petiitum, an placeret, quod dominus vicecancellarius, tamquam ad eum pertinens, rumpi faceret * arma Baltassaris. fuit responsum quod ita, & placuit omnibus. Qua bulla recepta, siue ferro quo bulla fabricabatur, & ibidem in præsentia omnium per magistrum Arnoldum aurifabrum prædicta bulla fuit rupta, & arma ipsius Ioannis deleta. Et absolutus dominus Ioannes archiepiscopus Rigenfis ab eius custodia, & pronuntiatus, quod fideliter custodiuiisset & præsentasset. Super quibus omnibus & singulis idem magister Henricus de Piro promotor petiit sibi fieri nomine quo supra, & dictus dominus archiepiscopus per se, vnum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta, per protonotarios ibidem præsentés, notarios & tabelliones, &c. Præsentibus ibidem illustribus principibus, duce Ludouico Bauariæ, comite Palatino Rheni, Henrico Rompolt duce Zolanensi de Silesia, Ioanne Iacobo comite Aquæsanensi filio marchionis Montisferrati, comite Bertholdo de Vrsinis, Philippo comite de Nassabo, & ambasiatoribus regum Polonia, Noruegiæ, Sueciæ, Daciæ, Nauarræ & Cypri, & aliis Christi fidelibus in numero copioso.

Suspensio futuri summi pontificis.

Sacrosancta generalis, &c.

Quod non procedatur ad electionem papæ, si contingat sedem vacare, sine expresso consensu Concilii.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus ecclesiam catholicam repræsentans, ad extirpationem præsentis schismatis & errorum, ecclesiæque reformationem in capite & in membris faciendam, in Spiritu sancto legitime congregata, ad facilius & liberius & vtilius vnionem ecclesiæ consequendam, pronuntiat, decernit, statuit & ordi-

ANNO
CHRISTI
1415.

nat, vt si contingat sedem apostolicam quouis modo vacare, in prima illius vacatione ad electionem futuri summi pontificis nullo modo procedatur sine deliberatione & consensu huius sacri generalis Concilii Constantiensis. Et si contrarium fieret, sit ipso facto irritum & inane auctoritate dicti sacri Concilii. Nullusque electum contra hoc decretum in papam recipiat, nec illi, vt papæ, quomodo libet adhæreat vel obediat sub pœna fautoriæ dicti schismatis & maledictionis æternæ: punianturque hoc casu eligentes & electus, si consentiat, ac illi adhærentes, pœnis per hoc sacrum Concilium ordinandis. Suspenditque dicta sancta Synodus pro bono vnionis ecclesiæ, omnia iura positia, etiam in Conciliis generalibus edita, & ipsorum statuta, ordinationes, constitutiones & consuetudines, priuilegia quibuscumque concessa, & pœnas contra quoscumque editas, in quantum effectum dicti decreti impedire possent quoquo modo.

Sententia diffinitiuâ contra Ioannem papam vigesimumtertium.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Sacro sancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam representans, inuocato Christi nomine, solum Deum præ oculis habens, visis articulis in hac causâ contra dominum Ioannem papam XXIII. formati & oblatis, ac probationibus eorundem factis, eiusdem submissione spontanea, vna cum toto processu huius causæ, habita matura deliberatione super eisdem, per hanc sententiam diffinitiuam, quam fert in his scriptis, pronuntiat, decernit & declarat, recessum per præfatum dominum Ioannem papam XXIII. ab hac ciuitate Constantiensi, & dicto sacro Constantiensi Concilio generali, clandestine & de nocte, hora suspecta, in habitu dissimulato & indecenti factum, fuisse & esse illicitum, ecclesiæ Dei & dicto Concilio notorie scandalosum, pacis & vnionis ipsius ecclesiæ turbatum & impeditiuum, schismatis inueterati nutritiuum, a voto, promissione & iuramento per ipsum dominum Ioannem papam Deo & ecclesiæ & huic sacro Concilio præfatis deuiatiuum; ipsumque dominum Ioannem simoniacum notorium, bonorumque & iurium nedum Roma-

næ, sed aliarum ecclesiarum plurium, & aliorum locorum
piorum dilapidatorem notorium, malumque spiritualium
& temporalium ecclesiæ administratorem & dispensato-
rem fuisse & esse, suis detestabilibus, inhonestis vita & mo-
ribus ecclesiam Dei & populum Christianum notorie
scandalizantem ante eius assumptionem ad papatum, &
post usque ad ista tempora: ipsumque per præmissa eccle-
siam Dei & populum Christianorum notorie scandalizaf-
se & scandalizare, postque monitiones debitas & carita-
tivas iteratis & crebris vicibus eidem factas, in præmissis
malis & arrogantia pertinaciter perseverasse, seque ex hoc
notorie incorrigibilem reddidisse, ipsumque propter præ-
missa & alia crimina in processu dictæ causæ contra eum
deducta & contenta, tamquam indignum & inutilem
& damnosum a papatu & omni eius administratione spi-
rituali & temporali amouendum, priuandum & depo-
nendum fore. Et cum hoc dicta sancta Synodus amouet,
priuat & deponit, vniuersos & singulos Christicolos, cu-
iuscumque status, dignitatis vel conditionis existant, ab
eius obedientia & fidelitate & iuramento absolutos de-
clarando. Inhibendo insuper vniuersis Christi fidelibus,
ne eundem (vt præmittitur) a papatu sic depositum,
de cetero in papam nominent, aut illi tamquam papæ ad-
hæreant, seu quoquo modo obediant. Et nihilo minus ex
certa scientia & de plenitudine potestatis supplet dicta
sancta Synodus omnes & singulos defectus, si qui forsan
in præmissis, aut aliquo præmissorum interuenerunt; eum-
que ad standum & morandum in aliquo bono loco & ho-
nesto, sub custodia tuta serenissimi principis domini Si-
gismundi Romanorum & Hungariæ, &c. regis, & vni-
uersalis ecclesiæ aduocati & defensoris deuotissimi nomi-
ne dicti sacri generalis Concilii, quamdiu dicto sacro Con-
cilio generali pro bono vnionis ecclesiæ Dei videbitur con-
demnandum fore, & eadem sententia condemnat. Alias
vero pœnas, quæ pro dictis criminibus & excessibus in-
ferri deberent iuxta canonicas sanctiones, dictum Con-
cilium arbitrio suo reseruat declarandas & infligendas,
secundum quod rigor iustitiæ vel misericordiæ ratio sua-
debit.

Quod neuter contendendum reeligatur in papam.

Item statuit, decernit & ordinat dicta sancta Synodus pro bono vnionis ecclesie Dei, quod nullo vnquam tempore reeligatur in papam dominus Baltassar Cossa nuper Ioannes papa vigesimustertius, nec Angelus de Corario Gregorius duodecimus, nec Petrus de Luna Benedictus decimus tertius, in suis obedientiis sic nominati. Et si contrarium fieret, id sit ipso facto irritum & inane. Nullusque cuiuscumque dignitatis vel preeminentie, etiamsi imperiali, regali, cardinalatus, vel pontificali dignitate prefulgeat, eis vel eorum alteri contra hoc decretum vlllo vnquam tempore obediat, seu adhæreat, sub pœna fautorie dicti schismatis & maledictionis æternæ: ad quas contra præsumptores, si qui in posterum fuerint, etiam cum inuocatione auxilii brachii secularis, & alias rigide procedatur. Datum Constantiæ prouinciæ Moguntinensis, in sessione publica in maiori ecclesia solenniter celebrata, die Mercurii vigesimanona mensis Maii, anno Domini 1415. indictione 8.

Pro iudicibus, quod vocentur prælati absentes.

Item decernit dicta sancta Synodus, quod quatuor generales iudices deputati debeant vocare prælatos absentes ad Synodum, & punire non venientes, prout eis de iure & secundum Deum videbitur expedire. Datum, &c.

*Instrumentum ratificationis sententiæ factæ per dominum
Baltassarem olim papam, in villa de Cellis
Constantiensis diœcesis.*

In nomine Domini. Amen.

Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat euidenter, quod anno a natiuitate eiusdem 1415. die Veneris vltima mensis Maii, indictione octaua, circa horam duodecimam in loco de Cellis Constantiensis diœcesis, in domo habitationis reuerendissimi in Christo patris & domini, domini Baltassaris Cossæ nuper Ioannis papæ vigesimitertii nuncupati, in camera ipsius Baltassaris, præsentibus infra scriptis reuerendis patribus, dominis Iacobo Rhodini de Ianua, & Thoma Polcon de Anglia, sedis

apostolicæ protonotariis, aliisque notariis publicis & etiam in-
 fra scriptis testibus ad inferius recitata vocatis & rogatis, reueren-
 di in Christo patres domini Ioannes Vaurensis episcopus, Gaspar
 sancti Ioannis eremitæ de Perusio, decretorum doctores, & Thomas
 sanctæ Mariæ extra muros Eboracenses, monasteriorum abbates
 personaliter existentes in præsentia dicti domini Baltassaris pridie
 Joannis papæ vigesimitertii nuncupati, per organum dicti domini
 Vaurensis episcopi, ex parte sacri generalis Constantiensis Concilii
 sibi significabant & intimabant diffinitiuam sententiam deposi-
 tionis a papatu contra eum die Mercurii ultimo præterito, sci-
 licet vigesimo nono præsentis mensis Maii, per dictum generale
 Concilium in sessione publica latam & publicatam fuisse: quam
 quidem sententiam ibidem sibi in scriptis exhibuerunt, & realiter
 tradiderunt ad finem, quod ea plenius intellecta, diceret decla-
 raretque, an eidem sententiæ, eam approbando, acquiescere, seu ei-
 dem se in aliquo opponere, vel contradicere vellet. Qui quidem
 dominus Baltassar ipsam sententiam sibi traditam per seipsum ad
 partem legit. Et deinde ad respondendum eisdem prælati super
 præmissis per eos propositis, spatium & temporis interuallum ha-
 bere voluit, ut super eadem sententiâ & petitis deliberaret. Qui
 quidem prælati de hoc contenti, dixerunt eos habita deliberatione
 huiusmodi ad suum beneplacitum, ad ipsum redire velle, suam re-
 sponsonem in præmissis audituri. Et sic ab eius præsentia pro tunc
 recesserunt. Et deinde eadem die & circa horam secundam post me-
 ridiem, iidem domini prælati ex parte dicti domini Baltassaris,
 & ad eius præsentiam pro audienda resposione in præmissis vo-
 cati, ad eum personaliter accesserunt. Quibus cum supradictis pro-
 tonotariis, notariis & testibus in eius præsentia constitutis, respon-
 dendo dixit, quod super dicta sententiâ per eum visa, lecta, bene
 concepta, ac plenius intellecta deliberauerat, & ideo quantum
 poterat, & in eo erat, eamdem sententiâ, cuius tenor est talis: In
 nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. &c. ut supra,
 prout per dictum sacrum Concilium lata, & ab ipso Concilio pro-
 cesserat & dictata erat, ex sua certa scientia approbat, ratifi-
 cabat & emologabat, ac eidem processui contra eum ad eius de-
 positionem per Concilium factam, acquiescebat & consensiebat.
 Apponendoque manus ad pectus eius, assertionem libera affirmabat,
 iurans corporaliter suo proprio motu, quod nunquam contra eam-
 dem sententiâ contra ipsum sic, ut præmittitur, latam quid-
 quam opponere, nec contra eam reclamare publice vel occulte, aut

ANNO
CHRISTI
1415.
* al. quia
cumque

ab ea appellare vellet, seu super papatu* quancumque controuer-
siam opponere; nec aliquo unquam tempore de eodem papatu se quo-
uis modo intromitteret, imo eidem papatui & iuri, si quod in eo-
dem sibi qualitercumque competierat, seu si quod sibi nunc in eodem
competebat, pure, simpliciter & absolute, libereque & sponte cede-
bat & renuntiabat. Et ibidem omni modo, via & forma, quibus
melius potuit, resignavit, cessit & renuntiavit expresse: & in huius
signū iam de camera sua crucem papalem amoueri fecerat, ac si vestes
mutatorias habuisset, omnia & singula insignia papalia, sicut dispo-
suerat dicta die Mercurii, qua dicta sententia fuit lata, tunc coram
prælatis prædictis deposuisset. Dixitque quod nullo unquam tem-
pore se pro papa gereret seu nominaret, aut nominari faceret: voluis-
setque quod ad ipsum papatum nunquam fuisset assumptus, quia
ex post nunquam habuit bonum diem. Et si contingeret casus, quod
in futurum reeigeretur, nunquam suum præberet assensum: adii-
ciens tamen, quod si aliqua persona singularis post iam facta præ-
missa, in sui personam quidquam criminis ulterius obiicere vellet,
ad ulteriorem processum contra eum habendum, seu grauiorem pœ-
nam in ipsum infligendam, quod in hoc seipsum defendere vellet
sub dicti Concilii generalis protectione, quod pro suo iudice & de-
fensore recepit. Supplicans humiliter, quod in hoc & in aliis Con-
cilium sacrum & regia serenitas ipsum haberent specialiter recom-
missum; volens & requirens idem dominus Baltassar, quod de
omnibus his & singulis præmissis fierent & retinerentur publica
instrumenta pro bono unionis ecclesiæ sanctæ Dei, ad perpetuam
rei memoriam, per dominos protonotarios sanctæ sedis apostolicæ,
& alios notarios publicos ibidem præsentis: quod ad hoc vicibus
repetitis instantius requisivit. Quibus sic per eundem dominum
Baltassarem & prælatos supra nominatos dictis, propositis,
factis, gestis, habitis & responsis, iidem domini prælati per orga-
num dicti Vaurensis episcopi petierunt & requisierunt confici,
& perpetuo retineri publicum & publica, instrumentum & in-
strumenta, per dictos protonotarios & notarios publicos infra scri-
ptos. Acta fuerunt hæc anno, die, mense, indictione, loco & hora
quibus supra, præsentibus reuerendis in Christo patribus, domi-
nis Vitale Tolonensi & Friderico Augustensi episcopis, ac venera-
bilibus religiosis & circumspèctis viris dominis & fratribus, Eyme-
rico de Arciis licentiato in decretis, priore prioratus sanctæ Benignæ
Augustensis, Pantio Gaudæ baccalaureo in theologia, ordinis fra-
trum Minorum, Begone de Rogerio in decretis licentiato, Sistari-
Concil. Tom. 29.

ensis & Rigenfis ecclesiarum canonico officiali Vticensi, Petro Ga-
ietano literarum pœnitentiariæ scriptore, canonico Conseranensi;
Ioanne Gonsalui baccalaureo in decretis, archipresbytero ecclesiæ A-
stensis; Henrico de Grauia notario publico, clerico Leodiensis diœce-
sis, testibus, &c.

ANNO
CHRISTI
1415.

Quibus sic (vt præmittitur) lectis, dominus Ioannes episcopus Ostiensis præfidens proposuit, quod si aliquis esset ibidem præfens, dictæ sententiæ diffinitivæ contradicere volens, seu eius pronuntiationi, surgeret & diceret: & in casu quo non dixerit, habebitur talis pro consentiente. Tunc nemine respondente, siue loquente, ipse dominus Ostiensis habuit respondere nomine collegii cardinalium, quod placet. Deinde ipsi commissarii in ambone, quilibet pro natione sua, videlicet Ioannes patriarcha Antiochenus pro natione Gallicana, Nicolaus Mersburgensis pro natione Germanica, Antonius episcopus Concordiensis pro natione Italica, & Patricius Cortagensis pro natione Anglicana, Placet, responderunt.

SESSIO XIII.

DIE Sabbati quintadecima mensis Iunii, anno a natiuitate Domini 1415. indictione octaua, fuit sessio generalis in ecclesia maiori Constantiensi, in qua fuit cantatum officium Missæ de beata virgine Maria per reuerendum patrem dominum Ioannem episcopum Lutomulfensem.

Quo completo, legebantur litaniam, &c. more aliarum sessionum, præfente ibidem serenissimo principe Sigismundo Romanorū & Hungariæ, &c. rege. Præfidebat in eadem sessione reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. Ex deputatione vero ipsius Synodi archiepiscopus Mediolanensis legebat quafdam ordinationes & decre-

Et deinde officio Missæ celebrato, fuerunt lectæ litaniam cum introitu. Exaudi nos Domine: cum diuersis collectis, euangelio, hymno, Veni creator spiritus, iuxta consuetudinem & ritum aliarum sessionum: præfente ibidem serenissimo principe Sigismundo Romanorum & Hungariæ &c. rege. Cui adstabant reuerendissimi patres domini cardinales de Vrsinis & Laudensis. Cui sessioni, siue Synodo, inter cardinales & eorum nomine reueren-